

(X2046452)

799.  
Z li  
6539

NUPTIIS  
VIRI

*Reverendi & Clarissimi*

Dn. M. JOHANNIS Herzog's  
Naumburgensis,

GENEROSO

Dn. HENRICO à Bünau in arce Wefen-  
steinensi à concionibus:

Cum

*Leclissima & Pudicissima*

VIRGINE

BARBARA SABINA:

*Consultissimi & Clarissimi Viri*

Dn. CHRISTIANI Bollharts / Civit. Je-  
nensis Syndici dignissimi

FILIA

*celebratis 25. Octobris 1641.*

FELICITER

acclamatur

à

Patronis, Præceptoribus,

1918 Amicis. P 148

JENÆ

IMPRIMEBAT JOH. CHRISTOPH. WEIDNER.







S.

**M** Nā lætari, contrā tristarier unâ  
 Corporis unius singula membra solent,  
 Lætitiâ exultant, ubi lux optata renidet;  
 Ast ubi nox lucem pellit opaca, dolent,  
 Optarim me Sponse tuam qui glutine tango  
 Affini Sponsam, posse videre choros.  
 Posse videre choros tibi læta Hymenæa canentum  
 Et congratantum prospera quæq; tuæ:  
 Sed prohibet luctus, mihi quem fera morta propinqua  
 Gignit, & invitum detinet usq; domi.  
 Corpore sic quamvis abiens, tamen intima mentis  
 Versantur tecum, faustaq; cuncta volunt  
 Sis Dux Sponse tuæ Sponsæ, sit Sponsa vicissim  
 Dux tibi, sed ducat Christus utrumq; ducem.

*Johann. Major D.  
 Rector.*

**S** I mihi scripturo tam promptus adesset Apollo,  
 Quam Tibi, quamq; Tuæ candida fata precor:  
 Carmine me nemo superaret: at omnia fallunt,  
 Et reliquum nihil est, quam pia vota mihi,  
 Vive tuo nutu, vidui nec tristia lecti  
 Fata unquam plora, nec duo turbet Eris.

*Dno. Conterraneo, Amico meo  
 honorando,*

*gratulabundus mittebam*

*Erasmus Ungepaar D.  
 & Ordinarius.*

A 2

Suscr.

Suscipe dulce jugum, Dux, & cum virgine mille  
Dotibus ornata, fœdera latus ini.

Jova Ducem ducat, benedicat & ubere dextrâ  
Florenti thalamo, multiplicetq; domum.

Circumdet mensam soboles pulera, instar olive;  
Adsit & unanimis paxq; salusq; toro!

Bonæ scevæ ergo adp.

Godfrid Fiebig D. & P. P.

---

Tandem vicit Amor, sua fixit tela Cupido,  
Et tua fœmineo subdita colla jugo.

Dulce jugum, quo non aliud sit dulcius ullum,

Blandaq; libertas, huicce lubesse, tibi,

Hocce jugum pariter trahite & conjungite colla

Unâ & cum collis corda ligate duo.

Adfluat ex alto Benedictio cœlica: nec sit

In thalamis aliud, quam benedictus AMOR.

### Sponsis novellis

M. HERZOGIO amico suo honorando, & VOLHARTÆ,  
medicâ celebri stirpe sata, Veneris & Gratiarum in contu-  
bernio enutrita, œconomicâ peritia præcellentî, faustita-  
tem perennem adprecatur ex animo Guernerus Röllfinck  
Hamburg. Phil. Medic. Doctor, Practicæ & Chimiæ Pro-  
fessor publicus.

---

Non potuere animum vitia incurvare juventæ;

Non Venus, aut Bacchi dulcia pœcla feri:

Solus amor castus, virtusq; decora puella

Vicerunt animum, Sponsæ adamate, tuum.

Scintillas homini socio qui primus amoris

Indidit, is vestro det bona queq; toro.

Qualis

*Qualis prima dies fuit incrementis amoris;  
Tales ut cuncti sint, maneantq; precor:*

**Paulus Marquartus Slegel,**  
Professor Medicinæ.

---

**Q**uale fuit Saræ quondam atq; fidelis Abrahæ  
Connubium, Vobis fit quoq; tale, precor.  
Fœcundum exhilaret Concordia blanda cubile,  
Et nullum attingat limina vestra malum,  
*Amico chariss. ex animo gratulab.*

**Johann. Michael Dilherrus,**  
SS. Theol. P. P. extraord. & Eloq.  
Hist. Poet. ordinarius.

---

**J**ane, nivi Geticæ tibi jungitur æmula virgo,  
Mitibus agnellis turturibusq; soror.  
Quin ipse ingrederis facie spectandus & ore,  
Ingenio facilis, multiplici arte gravis.  
Si pulchriq; boniq; bonis pulchrisq; creantur,  
Qualis sit soboles vestra futura, liquet.

*Fautori & Amico gratul. f.*  
**Daniel Stahlius Facult.**  
**Phil. Decanus.**

---

**N**on ego prolixâ te, Sponse, ambage tenebo,  
Carminis & voti summa sit ista mei.  
Fructus officii fac multos per-que-manentes,  
Conjugium nunquam sit sine fruge tuum.



*Tranquilli in terris ambo traducite vitam,  
Securi in caelis concelebrate DEUM.  
Finio. Sed Lector mecum sic suspirato:  
Bellorum strepitus CHRISTE silere jube.*

F.

*M. Caspar Bertram Senior,  
Numburgensium Pastor.*

---

*A*udet bella Venus bellum. Nunc milite forti  
Est opus, in bello consiliis opus est.  
Fortis adest Miles, Dux nomine & omine fortis:  
Est cui consiliis plena virago Comes.  
Si Dux in castris castris pugnaverit, & si  
Virgo consiliis juverit ista Ducem:  
Non dubito, fortis quin Dux, quin Consiliatrix,  
Sint portaturi, dante, trophæa, DEO.  
Ipse Duci lætò Volrathin pectore grator,  
VVolrathing, precor: NOMEN ita OMEN erit.

Boni

Nominis & ominis ergo lusum  
fulumq; mittit

*M. Adrian Beier Diaconus  
Jenensis.*

---

*B*arbaricum Sponsæ prænomen, itemq; Sabina Sabina  
Insigne antiquæ dum pietatis amas Σεβομένη  
SPONSE, quis addubitet, repetas quin læpius istuc,  
Barbara quàm pietas, quàm pia barbaries!  
Barbara sunt preciola etenim, sunt tempore cuncto  
Et sectanda magis, & redimenda magis.

Proin

Proin rigidis, mi, Grammaticis assurgere noli,  
 Judicium potius rite sequare Tuum:  
 Barbariem hi fugiant, digito Tu prènde sequacem,  
 Res bene habet, dudum Valla tyrannus abât:  
 Barbaries illis res *mortua*, sed Tibi *viva* est,  
 Barbara iis *λέξις*, sed Tibi *πλέξις* erit.  
 Nec breve solamen fuerit, sed tempore longo  
 Ponatur totiens continuandus amor!

*Amico veteri & sincero Naumburgo mittit*

**Johan - Theil / M. & P. L. C.**  
 Scholæ Senator. Rector.

**Q**uàm sit leta dies, SPONSO quo SPONSA decora  
 Jungatur stabili connubio atq; fide:  
 Hoc aliis posses, multum Dilecte, fateri,  
 Quos nondum simili vidimus esse loco.  
 Nunc etenim affulsit lux, quâ Tibi nomen amatum  
 Jungitur; inq; toro discupit esse Tuo.  
 Latitius igitur quàm planè & totus abundes!  
 Quod datur à Domino tam de amata manus.  
 Ergo tolle moras, accingere, ducitur uxor,  
 Hac gande in Domino, sit timuisse nefas!  
 Ipse Deus cœli cui sunt hæc gaudia cura,  
 Præsens afflatu gaudia vestra reget.

Multùm Reverendo, Eximio & Humanis-  
 sismo Dn. SPONSO, Amico  
 charissimo

f.  
**M. Christianus Chemnitius,**  
 Scholæ Jenensis Oppidana Rector.

, Non



**N**on satis est vixisse sibi. sua debita poscit  
SPONSA sed, illicitis ingeniosa suis.  
Nil nisi quam *Veneres* habitant, Corclum *Charitumq;*  
Delicium, cuius *velleg; nolleg; idem est.*  
Si quid forma potest. sed inest vis maxima formæ.  
Defunctum corpus hæc animare potest.  
Dux esto, nomenq; Tuum ac prænobile stemma,  
SCHRÔTERIUM dignè vindica ab interitu.

R. & CL. Dno. Sponso, Adfina exopta-  
tissimo, Amico intimo, fescen-  
nini loco applaudebam,

M. Johan-Tobias Major.

---

**M**ateries, nisi Forma juvet, non parturit ullam  
Natura speciem, sed toto concupit æstu  
Illius amplexus: Sobolem sic Fœmina nescit,  
Nî pariter maris hæc per opem foveatur, Amoris  
Quem stimulo flammata petit, ut culta supersit.  
Gratulor Incensis Animis, sine conjugæ vita  
Quos pudet, & volupe est sibimet proferre nepotum  
Nomina. Consimilem faciat sibi FORMA suavem  
MATERIAM! letos, ut sit qui gaudeat olim,  
Effluxisse dies Vobis. Succrescite Sæcla!

M. Johannes Musæus  
Longoprat. Thur;

---

I. de Sponso.

**D**UX appelletur primæva in origine quanquam,  
Ducere qui satagit Martis ad arma gregem,

DUX



DUX etiam nostro dicatur tempore quanquam

Princeps, quique viris imperat atque locis,

DUX alio tamen ex respectu ritè maritus;

DUX fidus Verbi, SPONSA, Minister ades:

DUX es: nam DUCIS ut nomen quadraret & omen,

*Duxisti* lociam *ducere* Conjugii.

DUX es: *ducendo* Tibi nam sic jungitur Uxor

Virgo pudica, citò ut *ducta* DUCISSA foret.

DUX es: namque Duces gignes; gignesque DUCISSAS:

Quis quælo Sponsum jam neget esse DUCEM?

DUX es præterea: fidus nam *ducere* Christi

Gestis militiam. Nomen & omen habes.

DUX Auditores sic *duc*, sic *ducque* Maritam,

Ut DEUS officium dirigat atque torum!

DUX hic Supremus Cœlique, Solique, Salique

Det VOBIS gnatos, filiolasque DUCES.

## II. de Sponfa.

1.

Wollharein:

2.

Wohlhartin.

3.

Wollrathin:

4.

Wohlrathin.

5.

Wollarthin:

6.

Wohlarthin.

Quamvis *dura* quoad Nomen sit SPONSA, quoad Rem  
Attamen est mollis, *duraque* mollificat.

Mollificare potest, qui oriuntur amore, calores:

Aerumnas, curas mollificare potest.

1.

*Plenam duritie* scis *plenam consiliorum*:

3.

4.

Quæ *bona consilio* est, sat *bene dura* cluet.

2.

Ad Te Sponse loquor Reverendi nominis: ergò

Durelcens *Sponsâ* mollificare Tuâ!

B

Post

Post exantlatos plures si quando labores  
Durelcas, *Sponsam consule*, SUBVENIET.

5.

Et nullus dubito, quin *plenaque progeniei*,

6.

Quæ bene progenita est, conspicienda brevi.

ID QUOD;

*omnigenamq; & temporalem & eter-*  
*nam felicitatem animitus vov:*

Dn. Sponso priscâ fide conjunctis.

*Christophorus Ständer Naum-*  
*burgensis.*

---

**D**ux Tibi Cognomen, Dux es, si Corporis Umbram  
Spectes, Teq; Ducem nunc *Wesersteina* vocat.

Sed non contentus; quia Dux cupis esse Puella  
Insuper & blanda, que gregis instar erit.

Duxisti Sponsam, que sola reperta Marito  
Concinna, in thalamo, queq; locanda valet.

Dux es: Sic Patrem ergo Ducesq; Ducesq; sequentur,  
Si ducis Sociam, cætera textus habet.

ita deproperabat

*H. G. Pehrischson.*

---

**D**ulce quod infanti lac præbent ubera matris,  
Dulcis qui reficit corpora fessa *sopor.*

Dulce *merum* afflictis, quos conficit anxia cura,  
Dulce ubi naufragiô navita *littus* habet.

Dulcis *lux* longô tenebrarum carcere clausis,  
Dulce est in patriâ consenuisse *domô:*

Dulcior ast Hæc est, quæ nunc Tua corda per-urit,  
*Lacte, sopore, merô, littore, luce, domô.*

BAR-

Sabini à Re BARBARA ei est nomen, sed certè *barbara* nō est,  
 ligione & quam virtus, pietas, forma, decusq; notant.  
 cultu Deo- Moribus hæc sanctis veteres imitata, Sabinas  
 rum ita di dicta SABINA, piè Numina Dia colens.  
 et; quod ea Hinc Tibi fœcundi dulcissima pignora læti  
 gens præ- Auguror, & thalami gaudia mille novi:  
 eipue Deos Alma precor cunctos successus Diva secundet,  
 colat, dñi & stus, & Pli- Omnia quæ dubiis versat agitq; rotis.  
 eipue Deos Alma precor cunctos successus Diva secundet,  
 colat, dñi & stus, & Pli- Omnia quæ dubiis versat agitq; rotis.  
 nius 3. N.  
 A. c. 12. in fi.

L. M. Q. fac:

Caspar Matthæus Eynenbergk.

## Sonnet.

GD gehe es noch wohl hin/ wann nach dem trüben Regen/  
 Nach dicken Nebels Rauch der klare Sonnenschein  
 Sich balde wiederumb am Himmel stellet ein:  
 Wann stilles Wetter wird nach Pliß vnd Donnerschlägen/  
 Alß Euch/ Herr Brautigam/ denn hewer wolten legen  
 Die Parcen Hand an Euch/ Es sturme wie ich meine  
 Unglück genugsam her/ zertrennet solte seyn  
 Das stärcke Liebes Band/ wo es nicht GDtes Segen  
 Vnd sonderbare Hutt gewendet gnädiglich/  
 Euch durffte Schaden nicht des grünen Todes Stich  
 Wie zwar sein Wille war. Jetzt aber helle Sonne  
 Des Glückes leuchtet Euch/ Ihr hochverliebtes Paar/  
 Drümb liebet Euch ja wohl/ so/ daß ihr alle Jahr  
 Ein Kleines zinsen müß: habe lauter Frewd vnd Bonne.  
 vberreichte es

wohlmeynend

Peter Rudolph Thiedrich.

Do.

197  
Dominus Magister Johannes Hertzogius.

*καὶ ἀνάγκη*

*omissis adspirationibus, & zints resolutio.*

Vos regat, tegat Deus in omni: Sors  
minis.

**C***ypria virgo Ducem, cui mens formidinis expers,  
Aspice! devicit, quis modò tutus erit?  
In sua devictum deducit castra, Puellam  
Et thalami sacro foedere jungit ei,  
Conspirant Musæ gratantes voce precando,  
Felix & faustum foedus ut hocce fiet.  
Cum Musis Domino Sponso Sponseq; pudica  
Ex animo pariter gratulor atq; precor,  
Vos regat atq; tegat Deus ipse potenter in omni:  
Nec Vos Sors duris territet atra minis.*

Otto Premper Naumb.

---

**C***Armina longa canant, faciles in carmine Musæ  
queis sunt: ast Egomet vota precesq; dabo.  
Det DEUS, ut thalamo vestro Concordia præsit,  
nec Vos turbet Eris, sed comitetur Eros.*

*ita prec.*

Georgius Hoffman/ Cunizensis.

**F I N I S.**

NUPTIIS  
VIRI  
*Reverendi & Clarissimi*  
Dn. M. JOHANN  
Naumburgensis

GENEROSO  
Dn. HENRICO à Binau  
steinensi à concionibus  
Cum  
*Leclitissima & Pudicissima*

VIRGINE  
BARBARA SA  
*Consultissimi & Clarissimi*  
Dn. CHRISTIANI BOLLER  
nensis Syndici dignissimi  
FILIA

*celebratis 25. Octobris*  
FELICITER  
acclamatur

Patronis, Præcepto  
1918 Amicis.

JENÆ  
IMPRIMEBAT JOH. CHRISTOPH.

